Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31624
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quod placeat oculis eius, ut in illo die in gremio beate uite inter caulas (?) martyrum merear te uidere. Tyrsus ad ista respondit: Amen. Et tunc ab episcopo regi celorum gratias egit. His quoque expletis beatissimus martyr exiens a suo patre spirituali, comitantibus angelis, redditus est carceri.

A lauacro fontis ad cruorem passionis immolandus Christo, in baptismo secundo, gloriam referebat deo. Tremor subito possedit custodes, et quem non uiderant exeuntem, senserunt regressum. Arma mouentur, et gladiis micantibus carcerem petierunt. Sed mox ad integrum quem infixerant reperiunt sigillatum, gladios condunt uaginis, et admirantes canoram quam psalmis reddidat uocem, sopor qui erat timore fugatus membrorum continuo possedit artus. Redditur tercius dies. Siluanus comes simul cum cubicio (?) ad forum processit, consedit in parato sedile. Siluanus dixit: Qui hesterno die ab officio designatus est, nostris aspectibus presentetur. Ex officio dictum est: Astat. Siluanus dixit: Quomodo uocaris? Tyrsus respondit: Dicor Tyrsus. Siluanus dixit: Cuius religionis es? Tyrsus dixit: Christianus sum, sicut et presens qui tibi assidet cubicularius non ignorat. Siluanus dixit: Desperate et omni temeritati deorum inimice, quare non sacrificas diis per quos omnia sunt? Tyrsus dixit: Quibus diis clarissime Siluane? Siluanus dixit: Siluano et Apollini. Tyrsus dixit: Te Siluanum hominem uideo, non deum, Apollinem autem quem dicis penitus nescio. Siluanus ex officio dixit: Ceruices frangite illi, ut nos non derideat. Illico ministri diaboli dicta factis exsecuntur. Tyrsus dixit: Patienter me audi, et dicam tibi ueritatem. Siluanus dixit: Si pro salute tua dic. Tyrsus dixit: Ante istud paucissimum tempus eram et ipse paganus, demones adorans, sicut nunc facitis uos. Ibam cecus per tenebras seculi, et uox delectabat secularis que erranti dicebat: Euge euge. Sed cum hec uana perpendi, ociosas animi laudes hominum abieci, uoluens prudenti animo mecum non esse uerum sacrificare demonibus; sculptilia enim sunt ex metallo fabrefacta, que suus artifex cum ei placuit fingit, et si displicuit frangit. Siluanus dixit: Ista superflua sunt et uana; audi autem me, et ingredere et sacrifica diis. Tyrsus dixit: Deo adiuuante et non demonibus, faciam modo quod ipse uidebis. Ingressus templum Apollinis cum Siluano comite et omnibus cum eo comitantibus sic ait: Uidete nunc astantes auxilium ueri dei, et sacrificium quod sacrifico ego regi celorum. Et intuens celum oculis dixit: Tu omnipotens refugium meum, tu gloria mea, ingenite ne deseras me, quia tu illuminasti tenebrosa mea, et per memorabilem uiam salutaris tui dextera (?) reuelasti mihi immaculatum et uerum deum, qui est et qui permanet in secula. Te deprecor lumen ueritatis pro quo patimur ut sanemur, ueni mihi in adiutorium, ut cognoscant quia tu es deus omnipotens, sicut non uelint ut conuertas cor eorum. Et his dictis terra dissiliens repente aperta est, ibique locum sol abscedens reliquit, ceciditque Apollo de luminari et comminutus est sicut arena. Tremor tenuit presentes, et intuentes in ipsum insculptile confractum oculi defigebat. Muta denique lingua siccis heserat faucibus, et membrorum per gradus (?) pauore uix sua tenebat compago. Tyrsus hec sic attonitis dixit: Uidete uestrum mendace nominatum idolum, et colligentes ossa testarum eius cognoscite quam nichil sunt uane uestre insanie. Siluanus dixit: Ferreas catenas afferte, non quas impostura procedens artificium fabrefecit, sed quibus in publicis meniis eius constricti sunt tribus (?). His per iiii. neruos membrorum extensis, carnes eius partibus minutatim ab inuicem conscindant.

Uerum et in hoc uictus recedes inimice. Ultra manus artificum fortiores diabolus preparat ligaturas. Artantur delicate manus et molles digiti pedum in ansulis catenarum, sed dei non defuit gratia. Nam cum esset in his nulli (?) extensus, tale domino psalmum dicebat: Dirupisti uincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Necdum uerba compleuit, et disrupte sunt ab eo catene, tamquam stipula si odorauit ignem. Exultat gaudio continuo martyr, et riuulus faciem onerat lacrimarum. Carta conscripta pura ingerit deo conscientiam. De gemitu et lacrimis conficit atramentaria, et oculis petentibus celum tales hilares personat laudes: Muscipula contrita est, et nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine domini, qui fecit celum et terram. Fulget postea in agmina togatorum in medio carceris beatissimus martyr indutus candida ueste, laudes cum Tyrso chorus angelorum: Suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui. Siluanus dixit: Applicetur maleficus Tyrsus. Raptus de carcere, plantis uix tangentibus terram. Ex officio dictum est: Astat Tyrsus. Siluanus dixit: Furcifer puniende, parum hoc est tibi quia contempnis tribunal nostrum, et deos nostros audes arte malefica minutatim confringere. Tyrsus dixit: Errans iudex et nescis, nullus deus confringitur ab homine. Si autem uis ueritatem audire, et ego anteriori tempore mollibus et caducis huius mundi deliciis perditus, sed quia nullam uult mortem animarum deus, cum iacerem in profundo cenoso tamquam in sepulchro mortifero, placuit deo aliquando dicere mihi: Tyrse ueni foras, ne uenires (?) et si fereas (?) cum sis paganus. Continuo excussi a me caliginem et respexi me, quia ante cecus eram lapides et ligna adorans, et sic domino dixi: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis. Siluanus dixit: Capacem grassum (?) afferte, et aqua eum implete. Tyrsum autem capite deorsum in eo deme artate, et reliquum quod supersunt membris concidite flagellis, ut et ipse uiscerum intra quousque ualeret sustinere penam et dolore sine uoce animam sub aquis pellat e corpore. Constipatur martyris caput, et ceruice tenus sub aquis artatur, ac reliquum quod penis membrorum patebat, fustibus dedolatis secatur. Mox liberatum martyrem sub aquis de uase reddidit uocem: O turbulente et super omne lutum cenose, porcorum sequens ruinam, in pleno sequeris sententias Sathane. Qui enim similes tibi sunt demones, porcorum grege possessos, et in abyssum cursu ueloci precipites, ad profundum uiderunt, quia uitam amiserunt. Ut autem ante tibi uirtutem ostendam, uoce clara dicebat: Saluum me fac deus, quoniam intrauerunt aque usque ad animam meam. Siluanus dixit: Uincimus te tandem, et magica carmina tua o Tyrse. Tyrsus dixit: Usque quo et uiuo numquam a te uincor inimice, fortis factus per deum, atque semel locutus opus non habui uase peluis intingui. Siluanus dixit:

Te ipsum crucias miser per magicas artes, ut deficias in penis; crede mihi, sacrifica diis, nam non effugies manus meas. Tyrsus dixit: Manus quidem tuas effugio et mortuus (?), tu autem manum dei nec uiuus nec mortuus effugere potes. Siluanus dixit: In collo eius onera congerite catenarum, et recipiatur in carcerem sub diligenti custodia, a me autem ei alia inquirit (?) tempus ministrat parabitur pena. Illico nouam aduersus martyrem diabolus reperit artem. Siluanus dixit: In modum muri subquadro angulari construite turrim, et caput in sublime porrectum petat altum celum. Huius in edificio turris infixi manu fabrili emineant dextera leuaque acuti pondere (?) gladii, ad turris autem ipsius pedem omne genus ferramentorum dumtaxat acutum terra suscipiat. Tyrsum autem manibus post tergum positis de fastigio mittite muri, ut quelibet parte membrorum eius telorum arma tetigerit in frusta discindatur, ut ambo singuli qui abstulerint gladium offerant pastus. Renuntiat archi-

84